vnguentes eum oleo in nomine domini noſtri Hieſu Chriſti. Benedicit̃ ſal & aqua in diuerſos uſus fideliū. ad homines infirmos. contra fantaſiam inimici ad pecorum ſanitatē. ad morbos aufferēdos. & cętera. ſicut legit̃ Alexander ſeptimus poſt Petrum Romanę urbis Epiſcopus & martyr conſtituiſſe. aquam ſparſionis cū ſale benedici in habitaculis hominum. Nam nullū eſt aliud elementum. quod in hoc mūdo purget uniuerſa quam aqua. quodq; uiuificet cuncta. ideoq; cum baptiçamur in Chriſto. per ipſum renaſcimur. ut purificati uiuificemur. q̊d in tempore paſſionis una cū ſanguine de latere Chriſti profluxit. ad oſtendēdum utiq; omīs ſanctificationis & mundicię ualidum ſe inde habere ſacramentum. Quod autem ſal ſanctificatum aquę immiſcetur. ex diuina authoritate proceſſit. quia illud ꝑ Eliſeum in fontē mitti iuſſit. ut ſanaret̃ ſterilitas aquarum Iericho. Ergo natura ſalis naturę aquę uicina & coniunctiſſima eſt. quia eiuſdem elementi ambo ſunt. & idem officium et ſignificationem habēt. Nam aqua a ſordibus mundat. ſal putredinem fugat. aqua nitorē prębet. ſal ſinceritatem adhibet. aqua potum ſapientię ſignificat. & ſal guſtum prudētię indicat. quod ſcilicet ſacrorum librorum ſatis teſtatur authoritas. & multiplicia eorum produnt teſtimonia. Fit enī hic mirabilis operationis diuinę effectus. ut per ſacerdotū ora deus ipſe benedicat. & per ſenſibile eorū miniſteriū. uirtus diuina inuiſibiliter efficiat ſacramentum. deprecatur quidem pro ſalute hominum pia ſacerdotis intentio. & preſtat eam diuinę pietatis deuotio. ſicq; fit. ut charitas quę exhibet in ſacerdote deprecationem. ipſa p̄ſtet a domino integram ſanitatem.

DE SYMBOLO. Ca. LVI.

s Ymbolum tali ratione inſtitutū maiores noſtri tradunt. quod poſt aſcenſionē dñi & ſaluatoris

noſtri ad patrem cum poſt aduentum ſancti ſpiritus diſcipuli eius inflammati. linguis omnium gentium loquerentur. vt nulla illis gens extera. nulla lingua barbaris inacceſſa uel inuia videretur. pręceptum eis eſt a domino datum. ad prędicandum dei verbum. ad ſingulas quaſq nationes adire. Diſceſſuri itaq ab inuicē normam prius ſibi futurę prędicationis in communi conſtituūt. ne velociter ab inuicē diſcedētes. diuerſum aliquod uel diſſonum prędicaretur. his qui ad fidem Chriſti inuitabantur. Omnes ergo in vno poſiti. & ſpū ſancto repleti. breue ſibi prę dicationis indicium conferendo in vnum quod ſentiebant componunt. atq hāc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolū autem hoc. multis et iuſtiſſimis cauſis appellare uoluerunt. συμβολον. Symbolū enim gręce. & indicium dici poteſt et collatio. hoc eſt quod plures in vnū cōferunt. Id enim fecerunt apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo. vnuſquiſq quod ſenſit. Indicium autem vł ſignū idcirco dicitur. quod illo ī tēpore ſicut Paulus apoſtolus dicit. & in actibus apoſtolorū referē. Multi ſimulabant ſe eſſe apoſtolos Chriſti. nominātes qdem Chriſtum. ſed nō integris traditionū lineis nunciātes. idcirco ergo iſtud inditiū poſuere. per quod cognoſceretur is qui Chriſtum verum ſecundum apoſtolicas regulas prędicaret. Eſt autem ſymbolum ſignum. per quod agnoſciē deus. q̄dq proinde credentes accipiūt. vt nouerint qualiter contra diabolum fidei certamina p̄parent. in q̄ quidē pauca ſunt uerba. ſed oīa cōtinenē ſacramēta. De totis enī ſcripturis. hęc breuiatī collata ſunt ab apłis. vt qm̄ plures credentiū litteras neſciūt. vel qui ſciunt prę occupatiōe ſcłi. ſcripturas legere nō poſſunt. hęc corde retinentes. habeant ſufficientē ſibi ſcientiam ſalutarē. Eſt enī breue fidei uerbū. & olim a ꝓphā p̄dictū. Qm̄ uerbū breuiatum faciet dn̄s ſup t̄rā.

DE REGVLA FIDEI. Ca. LVII.